



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 178. Prosecutio causæ Joannis Parvi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

## §. CLXXVII.

*Imperator in iis, quæ jura sua concernunt, nihil decidi postulat.*

Cum aliquot abhinc diebus Polonorum, & Equitum Teutonicorum causa in quadam Congregatione decimo tertio Februarii die denuo agitari coepisset, Polonorum Legati nomine sui Regis, & magni Lithuaniae Ducis contra hosce Equites suas detulerunt querelas. Nihil tamen ibidem decisum est. In eadem Congregatione lecta fuit Imperatoris Epistola, in qua Synodum rogavit, ne se absente quicquam circa *jus suum primariarum præcæ* decideretur; Vi hujus Juris, Ecclesia vel Capitulum, cujus esset conferre beneficium vacans, illud ei, quem Imperator primum præsentavit, concedere tenetur; Cum vero dictum Jus certis restrictum esset conditionibus, e re fuit Sigismundi, impedire, quo minus se absente quicquam desuper statueretur. Quamobrem, causa hæc usque ad reditum Imperatoris dilata est.

## §. CLXXVIII.

*Prosecutio causæ Joannis Parvi.*

Gerson. to. 5.  
p. 514. &  
520.

Negotium Joannis Parvi denuo tractarunt Patres in Congregatione die 18 Februarii celebrata. Ducis Burgundiae



diæ Advocati exhibuerunt libellum, pe- Sæcul. XV.  
 tentes, ut Gersonius novem propositio- A. C. 1416.  
 num denuntiationem a se factam retracta-  
 re compelleretur, tanquam calumniosam,  
 & ex proprio suo cerebro confictam, simul-  
 que, a Commissariis sine mora dijudicari  
 postularunt, utrum hæc caussa fidem tan-  
 gat, & ad forum Synodi pertineat, nec-  
 ne? Sedis Apostolicæ Advocatus, Si-  
 mon de Theramo dictus, nomine Regii  
 Procuratoris apud Curiam Romanam, si-  
 bi de actis Commissariorum transum-  
 ptum, antequam ad sententiam procede-  
 retur, dari, ac prius Regis Galliæ Orato-  
 res audiri petiit, eo quod Regis plurimum  
 interesset, ejusmodi propositiones con-  
 demnari, quæ ad sicariam Fratris sui cæ-  
 dem cõhonestandam tenderent, necnon  
 seditionem subditorum contra Domi-  
 num suum foverent, speciatim vero  
 Cardinalem Cameracensem, hæc pro-  
 positiones maturo examini subjici roga-  
 vit, ut omni cunctatione remota proscri-  
 bi possent. Denique quosvis suspectos  
 recusavit, & inter ceteros Cardinales  
 Urfinum, & Aquileiensem, Abbatem Cla-  
 revallensem, & Doctorem Taillevandum.  
 Verum ejus exceptio rejecta, nihilque  
 aliud hæc vice decretum fuit.